



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio II. De Ente prout possibile est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Cæterum posset quis alia via salvare Analogiam Entis, est tamen dicere, quod Analoga habeant conceptum perfectè unum; nempe quia præcindunt & ab hoc & ab illo particulari analogo, & per hoc salvatur, quod habeatur conceptum perfectè unum. Quia tamen illa ratio ut sic, est abstracta à rationibus conveniendi & differendi sub eodem nomine ipsa etiam erit, ut sic ratio conveniendi & differendi, adeoque Analoga, cum Analogum, sit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine.

QUÆSTIO II.

De Ente prout possibile est.

PRÆMITTO I. *Possibile dupliciter spectari potest.* I. ut contraponitur, actu existenti; & sic AntiChristus dicitur possibilis. II. Ut est quid commune, tam actu existenti, quam ei quod non existit, quamvis ei non repugnet existentia, & in eo sensu quod existit, dicitur esse possibile, ut existat. Prioris generis possibilitas non competit Deo, cuius esse est existere; non competet item creaturæ, quæ ab æterno existeret, nisi pro priori rationis, in quo concipitur potuisse non esse, cum liberè producta sit. Secunda autem possibilitas competit Deo, & creaturæ, etiam ab æterno existenti, & omni ei, quod chimæra non est. Prior illa possibilitas vocatur possibilitas physica, posterior possibilitas Logica.

PRÆMITTO II. *Quod possibilitas physica duo dicitur.* I. Formalitatem possibilitatis sibi communè cum possibili Logico, & per hanc distinguitur ab omni eo quod ens rationis est. 2. Importat convenientiam actualis existentia. Sed circa hoc subest aliqua difficultas. Si enim possibilitas dicit carentiam suæ actualis existentia, hoc ipso dicit carentiam sui, nam existentia rei non distinguitur à re.

EXPLICARI potest I. Ex Oviedo hinc Puncto 1. n. 17. quod scilicet aliud sit dicere ens possibile possibilitate physica non esse, seu non existere; & aliud quod sit illud ens, negatio seu carentia existentia. Quod probat. Tum quia cum prima sit quæstio de re, an sit; II. Quid sit? cum possibile ens dicatur non esse, non est ulterius procedendum puid sit? adeoque an sit negatio existentia, vel non, illa possibilitas. Tum quia quamvis vera sit hæc propositio: homo non est equus; falsa tamen hæc: quod homo sit negatio equi; ita etiam vera erit hæc propositio: ens possibile non existit, falsa tamen hæc, ens possibile est negatio existentia; licet verum sit tunc temporis, cum non existit possibile, dari in rerum naturâ negationem talis existentia, quæ negatio distinguitur ab illo, cuius est negatio, consequenter quando possibile reducitur in actum existentia, non convertitur negatio existentia, in ipsam existentiam, sed tantum incipit esse, quod antea non erat, absque ullâ conversione negationis in habitum, & absque ullâ mutatione illius rei, quæ

producitur, quæ ante sui productionem, nec in se, nec in aliquo sui erat. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia demus, quod homo non sit negatio equi, tamè necessario importat & dicit esse ipsius, negationem equi: Sic in præsentia, demus, quod possibile non sit negatio existentia, ad minimum dicit & importat negationem existentia; si importat negationem existentia ut volebat argumentum, importat negationem sui ipsius, cum existentia sit illud me ipsum. Tum quia: an debeat dici ens possibile negatio existentia, an verò debeat dici non existere, est quæstio de voce: in re enim quod non existit, dicit negationem existentia, reditque argumentum quod in re possibilitas dicat negationem ipsius. Tum quia cum non existit possibile, verum est dari negationem talis existentia, at quid dicit negationem talis existentia? Nōne ipsum possibile? quomodo ergo non dicit negationem sui?

EXPLICARI potest II. Quod scilicet idè possit dicere negationem sui ipsius, sed aliter accepti. Sic v. g. Petrus venturus, quid est nisi ipse Petrus, pro ut pro nunc non venit: venturus autè postea; ubi aliter acceptus Petrus, dicit negationem sui ipsius, hinc. Unde etiam possibile, dicit negationem sui aliter accepti; nam in recto dicit conditionatam suam existentiam, quod scilicet sit id quod si existeret non implicaret contradictionem; in obliquo autem dicit negationem existentia actualis pro nunc; Hæc explicatio cæteroqui bona.

NON SATISFACIT plenè. Tum quia infra videbimus quod possibile non dicat conditionatam existentiam primò. Tum quia conditionata existentia ab actuali solo statu differt. Quæro ergo quid hic negatur: non solus status; quia negatio status est impertinens; Si autem negetur ipsa existentia, redit argumentum: quod possibile dicat negationem sui ipsius.

EXPLICARI potest III. Supponendo imprimis quod possibile, de quo in præsentia, à parte rei nihil omnino sit actuale, sed totam difficultatem procedere de modo concipiendi; an scilicet debeat concipi possibile tanquam negatio sui. Ut modus concipiendi rectè formetur ostendaturque debet, quomodo ens possibile non dicat negationem sui ipsius, ita discurrere possemus. Ut videlicet possibile dicat ens nominaliter acceptum in recto, seu acceptum pro radice essendi, ut autem dicat in obliquo negationem entis particulariter seu pro existentia accepti. Unde jam possibile non dicit negationem sui in recto accepti, licet dicat negationem sui h. e. alicujus identificabilis sibi pro statu reali, & dum extra causas ponetur. Quod si non erit negatio ejusdem de eodem, non erit vera contradictio; consequenter nec jam idem) ex modo concipiendi, de quo hic in dicta difficultate) negabitur de se ipso. Addo signanter; quod ens possibile importet rationem entis, licet simul importet quod nihil sit physice, seu importet negationem suæ existentia in

statu physico, consequenter quādo possibile physice ponitur extra clausas non transit formaliter loquendo negatio in habitum, sed ens in recto importatum, dicit formalitatem quam antea negabat, quā dicta formalitas tollit negationem existentiae, quam antea ens dicebat.

PREMITTO III. *Totam difficultatem in praesenti esse de possibili Logice spectato*, in quo nimirum illud consistat:

DIFFICULTAS I.

Quis sit Possibilitatis Conceptus per alios?

DICENDUM I. *Possibilitatis conceptum non esse, posse à Deo creari*. Est contra Hurtadum, qui possibilitatem volebat esse, meram denominationem extrinsecam, ab omni potentia Dei, potente creaturam ponere.

PROBATUR I. Si possibilitatis conceptus, stat in posse produci à Deo, vera esset hæc universalis. Omne quod chymara non est, potest à Deo creari. Quod posita illa sententiā deberet esse vera dicta propositio. Ratio est. Quia non esse chymaram, est necessario connexum cum quocumque possibili, si est connexum; tunc si verum est omne possibile posse creari; verum erit omne quod non est chymara, posse creari. Sed vera est hæc particularis, aliquid quod chymara non est, non potest à Deo creari, ergo prior illa debet esse falsa, utpote contradictoria veræ. Quod vero illa particularis sit vera probatur. Deus ipse non est Chymara, & tamen creabilis non est, ergo aliquid quod Chymara non est creabile non est.

RESPONDEBIS. Conceptum possibilitatis creatæ esse, posse creari; non verò conceptum possibilitatis increatæ.

CONTRA. Tum quia vel hinc datur conceptus possibilitatis ut sic vel non datur? si non datur non responderetur ad quæstionem, quia hinc de possibilitate ut sic quæritur: si datur, & est prædictus, etiam Deo convenire debet & ejus definitio. Tū quia falsa est hæc propositio, Deus est impossibilis: ergo vera hæc, Deus est possibilis, & tamen non est creabilis; ergo possibile absolute non est idem quod creabile. Tum quia idem sic aliter proponitur. Hæc propositio Deus est possibilis est vera, ergo & prædicatum illius est verum; si verum, da illius sensum, & hic erit conceptus possibilitatis ut sic, depurando eum à ratione creati & increati. Et licet quidem possit dici de Chymara per aliquorū sententiam, quod crearet illā Deus si non implicaret, non potest tamen dici quod creabilis esset Deus si creari posset, idque ideo quia sicut ex illo Chymara conditionato creari non sequitur absoluta possibilitas sed impossibilitas Chymaræ, ita & ex conditionato creari Dei sequeretur absoluta impossibilitas Dei.

PROBATUR II. Vel est Chymara ex se possibilis, & impossibilis tantum ex parte Dei, vel certe est impossibilis tam ex se quā ex parte Dei. Si possibilis est ex se, ergo per te est ex se creabilis; nam per te possibilitas stat in posse creari, ergo

etiam creabilis erit ex parte Dei, aliàs aliquid creabile ex se, non posset creari à Deo, possibilisque esset perfectior omnipotentia, nempe creativa omnium, quæ ex se creari possunt. Quod si dicis Chymaram ex parte Dei esse possibilem & tantum ex parte sui esse impossibilem. Ergo apparet possibilitatem non stare in eo, quod est posse Deum creare, quia etiam impossibilitas non stat in eo, quod est à parte sua Deum aliquid creare non posse, cum impossibiles Chymaras possit à parte sua creare Deus. Quod si impossibilis est Chymara tam ex parte sui, quā ex parte Dei, ergo etiam possibilitas rerum creaturarū stabit tam in possibilitate ex parte sui, quā in possibilitate ex parte Dei, & non tantum in solo posse creari à Deo.

CONFIRMATUR I. Quia in illo consistit formaliter ratio possibilis, quod pro ultima ratione reddi potest, eaque à priori, cur aliquid pertineat ad conditionem verè entium, sed posse creari non est talis ratio: Quod probatur: Quia si quæram, quare sit Petrus possibilis? Respondebis, quia illum potest Deus creare, sed de hoc ipso quærere restat cur à parte sua Petrus sit talis, ut possit creari terminareque ut ita dicam, actionem illam Dei, & non possit v.g. Chymara?

CONFIRMATUR II. Quia possibilia in specie non solum ab extrinseco sunt talia, sed etiam ab intrinseco: & sic resibile, cognoscibile, amabile, non solum sunt denominationes extrinsecæ, sed important aliquid etiam intrinsecum in suo genere; cur idem in præsentī dici non poterit?

CONFIRMATUR III. Quia ratio entis, ratio essentiae, non sunt denominationes merè extrinsecæ; ergo etiam & possibilitas non est denominatio merè extrinseca.

PROBATUR III. Possibile est ut possibilitas præter denominationem extrinsecam importet etiam aliquid intrinsecum: Ostende enim in hoc implicantiā: ergo dicit istud intrinsecum; nam quod est possibile, illud possibile dicit; nam possibilitas possibilitatis hoc ipso quia possibilitas est, fundat ut illud verè sit possibile.

Addo possibilitatem extrinsecam rectè desumi ab omnipotentia: imò hæc possibilitas extrinseca est actu ab æterno, quia possibilitas extrinseca est in aliquo sensu ipsa omnipotentia Dei: Dixi in aliquo sensu, quia sumendo possibilitatem pro formalitate affixa, ut ita dicam ipsi enti, de cujus possibilitate quæritur: & quæ pullulat ex habitudine, quam ad illud dicit omnipotentia, in isto sensu non est actu ab æterno physice, quia cum extra Deū ab æterno nihil sit, nec actu erit illa formalitas, quæ concipitur pullulate, essetque forma intrinseca, ipsius possibilis.

OBJICITUR I. Nihil potest intelligi dicens essentialiter ordinem ad aliud sine ordine ad aliud, possibile dicit ordinem ad Dei omnipotentiam, ergo sine illo ordine intelligi non potest.

RESPONDETUR. Ad hoc argumentum infra in Logicis, ubi de primo essentiali conceptu absolutorum,

torum, ubi inter alia dicitur, quod cum absoluta adeoque & possibilis dicantur non nisi secundo essentiali ordinem ad aliud, possint sine hoc ordine, intellectu nostro sola primo essentialia pensante, concipi.

INSTABIS. Possibilitas primo essentialiter dicitur ordinem ad aliud, quia primo essentialiter accepta, non est ens à se; ergo ab alio.

RESPONDETUR. Primo essentialiter acceptum possibile, neque esse ens à se, neque ab alio, quia possibile ut sic, est quid superius istis speciebus & membris dividendis: & quamvis quidquid est à parte rei physicè sit, vel ens à se, vel ens ab alio; ratio tamen metaphysicè superior potest ab utroque hoc abstrahere. Alia Methodo alii respondent, quod possibile adæquatè cognitum dicat ordinem hunc, secus possibile etiam creatum, inadæquatè tamen cognitum.

OBJICITUR II. Creatura antequam Deus illas possit creare non sunt possibiles, ergo possibilitas illarum sola est denominatio extrinseca.

RESPONDETUR. Quod possibilitas intrinseca: à nobis concessa non debeat re esse prior potentia Dei potente illam producere: cum enim possibilitas ista competat rei ab æterno, omnipotentiaque Dei sit ab æterno, non debet illa possibilitas intrinseca esse prior omnipotentia potente creare illam, quia in æternitate non est unum prius alio, vel tempore vel instanti. Quod si quæstio procedat, an saltem conceptu sit prior possibilitas intrinseca præ possibilitate extrinseca, in eo sensu respondendum affirmativè, adeoque negando antecedens.

OBJICITUR III. Si possibilitas non petatur ex ipsa omnipotentia divina, possibilitas non erit dependens & subdita Deo.

RESPONDETUR. Possibilitatem ut sic non debere esse subditam Deo, quia est ratio etiam Deo communis, qui sibi ipsi non est subditus. Et quia subditio spectatur penes statum realem & physicum, in quo, esse possibile, cum eo quod est productum à Deo, identificatur, sit, ut adhuc possibilitas non quidem pro statu metaphysico, & inadæquatè spectata, sed pro statu physico sit Deo subdita; unde adæquatè considerata possibilitas, dicit in se imbibitam indigentiam Dei ut existat.

DICENDUM II. Possibilitatem non rectè explicari tanquam per aliquid primum, per hoc, quod sit entitas non involvens contradictionem si existat; est contra Arriagam, Oviedo & alios.

PROBATUR I. Quia propositiones æternæ veritatis non habent hunc sensum conditionatum, ut inferius explicabitur: ergo nec possibilitas bene explicabitur per dictum sensum conditionatum. Et cum hic quærat de possibilitate tali, quæ ex modo concipiendi sit prior præsuppositione præ ipsa omnipotentia Dei, hoc ipso non poterit explicari per conditionatam existentiam, quia sicut absoluta existentia absolute operantem omnipotentiam, ita existentia conditionata, conditionatè operantem omnipotentiam supponit; ab

iusdem enim principiis effectus absolutus & conditionatus pendere debet.

PROBATUR II. Ipsa existentia conditionata est possibilis, estque ad illam per modum generis possibilitas ut sic, tam enim de existentia absoluta, quam de conditionata bene prædicare possumus, est possibilis. Ergo possibilitas ut sic per conditionatam existentiam, utpotè tanquam per aliquid inferius, non rectè explicatur.

PROBATUR III. Possibilitatis vel est passio metaphysica existentia, vel est essentia possibilitatis: si est passio metaphysica, ergo pro primo conceptu possibilitatis poni non potest: Quia passio non est de primo essentiali conceptu radice suæ, quod autem illa existentia sit existentia conditionata, non extrahit illam à ratione passionis. Quod si existentia est essentia possibilitatis. Contra erit. Tum quia infra constabit illam esse non nisi accidens metaphysicum. Tum quia si existentia est essentia possibilitatis, Ergo possibile non erit superius essentia & existentia, sed possibile erit idè quod ens participialiter, ergo ulterius creaturam reddi à Deo vel causam secundam existentem, erit reddi possibilem, huiusque propositionis existentia est possibile quid, erit sensus hic, existentia est existens; & de quo non potest prædicari existentia, de illo etiam non potest prædicari possibile, quod tamen falsum est, quia possibile potest dici de ente nominaliter accepto, non autem potest de illo ente, dici existentia.

OBJICIES. Si possibile dicatur esse ens quod si existat non involvit contradictionem: distinguitur per hoc à chimæra, & erit quid commune tam enti actuali, quam enti perenti esse actuale. Rursus potest pro ratione reddi cur Deus possit producere Petrum & non Chimæram, ergo hæc formalitas bene explicat possibilitatem.

RESPONDETUR. Quod per conditionatam existentiam omnia quidem salventur, quæ assumit objectio, sed non salvantur primo.

Ex hæcenus autem dictis facile alia explanationes impugnari possunt.

DIFFICULTAS II.

Quis sit Conceptus Possibilitatis?

DICENDUM est, Quod possibile sit ens ipsum prout est radix nexus essentialium prædicatorum, ad quem nexum sequitur, non implicare contradictionem. Quod ipsum

EXPLICATUR. Non dico ens esse id quod non implicat contradictionem, quia quamvis ista duo in re idem sint, tamen distinguuntur in ordine ad nostros conceptus: Prius enim est esse quam dici, adeoque prius erit esse connexionem essentialium prædicatorum, quam non implicare contradictionem. Ex ipsa apprehensione impossibile, est quid negativum, ergo oppositum illi possibile, debet esse quid positivum in esse, quamvis possit esse negativum in significari. Unde etiam in modalibus possibile sumptum pro communi ad contingere &

† C 3

necef.

necessarium, affirmativum modum importat; & quia hoc quod est non implicare contradictionem, est quid negativum, ideo est tale, quod entis positivi, quale est possibile, primo essentiali conceptum formare non potest. Denique legitima hæc est consequentia tanquam à posteriori ad prius, non implicat contradictionem, ergo habet radicem nexûs essentialium prædicatorum, omne enim dici, non est de se & ex se, sed ratione aliûs, hoc est ratione ipsius esse.

Quod si quæras: quis sit iste nexus essendi seu essentialium prædicatorum? Hic nexus non aliter explicari potest, quam per inductionem, nam v. g. manifestè est quid sit possibile homo, diciturque nexum rationalis cum animali, quem nexum non dicit hircus & cervus in Chimæra, quæ est quid manifestè impossibile.

Rursus connexio debet esse inter duos terminos, quorum unus non sit non esse alterius, & si non sit non esse alterius, illa omnia erunt possibilia: Si autem unum sit, & aliud sit non esse illius aliûs, quod est, hoc ipso impossibile illud erit: Et ita quia animal dicit esse, cuius esse negationem, non dicit rationale, sit ut animal rationale, sit quid possibile. Quia verò hircus est esse, cuius negationem dicit cervus, sit ut hircocervus, sit quid impossibile.

PROBATUR I. Quia hæc definitio convenit omni, soli, & semper possibili, proceditque per prima reperibilia in hoc genere.

PROBATUR II. Per nihil aliud commodius describi potest ens possibile, de cætero etiam nullo vitio laborat prædicta explicatio. Ergo. Prima pars antecedentis probatur. Si enim per aliquod aliud commodius describi posset possibile, maxime describeretur per illam conditionatam existentiam, sed per illam non circumscribitur, ut probatum supra. Et insuper inde colligitur, quia ens per illos est, quod dicit aptitudinem ad existendum; hinc per illos ens possibile, erit id, quod cum dicit aptitudinem ad existendum si existat non implicat contradictionem, quæ explicatio videtur ridicula. Deinde impossibile omni existentia, non hoc ipso formaliter impossibilis esset essentia, ergo essentia possibilitas, non rectè explicatur per conditionatam existentiam. Denique accipiamus hanc propositionem; si Petrus existeret non involveret contradictionem, rogo quem habeat sensum? imprimis non potest habere hunc; quando existit, vel existet, non involvet contradictionem; quia sic propositio illa non absolveret à tempore, sed alligaretur præsentis vel futuro. Non potest etiam habere hunc sensum: quando existeret non implicaret contradictionem, quia de DEO existente non posset aliàs sine falsificatione dici quod sit possibilis, quia non potest de illo dici, quod quando existeret non implicaret contradictionem, quia de facto existit; sensus

autem absolutus tollit conditionatum. Quod si dicas proportionatè debere accipi illam existentiam. Contra erit: quia jam non bene explicas possibilitatem, quia hæc explicatio debet esse talis, ut eadem invariata, omni statui conveniat.

PROBATUR III. Apprehender intellectus hanc propositionem, Petrus dicit nexum essentialium suorum prædicatorum, ad quem sequitur quod non implicet contradictionem, nihilque cogitet de existentia conditionata, per hoc ipsum sufficienter apprehendit Petrum non esse Chimæram, tanquam per rationem primam, & non petrum prædicatum ab aliquo accidentali, ergo sufficienter per illos terminos apprehender possibilem, ergo ulterius non per illam conditionatam existentiam explicatur possibilitas.

OBJICITUR I. ex Oviedo. Illa connexio non potest dici æterna, quod si æterna non est, quid habeat lapis non existens, quod sit actu possibilis.

RESPONDETUR. Non esse illam connexionem ab æterno importantem esse existentiale ab æterno; esse tamen æternum fundamentaliter, de quo infra.

INSTARI potest. Chimæra etiam dicit connexionem prædicatorum essentialium & tamen non est possibilis, ergo possibilitas per illum nexum non rectè explicatur.

RESPONDETUR. Chimæram non dicere connexionem suorum prædicatorum essentialium, sed potius disconnexionem, solumque nexum disconnexionis, consimiliter ac concordem in discordando dicuntur concordem, quomodo enim necti illa inter se possunt, positio esse, cum negatione illius esse.

OBJICITUR II. Si possibile esset ipsum ens dicens nexum prædicatorum, ad quem nexum consequatur non implicare contradictionem, possibile in recto esset ipsamet entitas, quæ postea actu est vel esset futura: Sed possibile non est ipsamet illa entitas quæ est vel esset actu futura, quia aliàs ens ut sic, non esset superius ente actuali & possibili.

RESPONDETUR. Imprimis per nos possibilitatem non explicari per ordinem ad existentiam, hinc non videtur nos petere argumentum. Sed ex alio etiam principio respondetur objectioni, quod scilicet Ens in definitione possibilis positum, sit ens commune ad ens nominaliter, & participialiter; hoc autem prius est, ipso possibili.

INSTABIS. Ad ens actuale non potest se habere per modum prædicati ens possibile, nec hæc duo possunt esse idem, quod tamen requiritur ad omnem prædicationem; quia illorum unum, non potest prædicari de altero, quibus inter se comparatis, conveniunt contradictoria prædicata; enti autem actuali & possibili

conveniunt prædicata contradictoria; quia ens actuale est ens simpliciter, possibile non est ens simpliciter: II. Ens possibile est ens ab æterno, actuale non est ens ab æterno. III. Possibile identificatur non enti existentialiter, actuale non identificatur non enti existentialiter &c.

RESPONDETUR. Ea de quibus verificantur prædicata contradictoria ratione status, non possunt esse idem ratione status, possunt tamen esse idem ratione communis formalitatis in illo statu intelligibilis. Sic v.g. de Petro Sene & eodem Juvene verificantur duo prædicata contradictoria, sed ratione status ætatis, quo tamen non obstante, eadem formalitas entitatis sub utroque statu intelligi potest, hoc est eadem ratio animalis & rationalis, quod si eidem ratione diversi status possunt convenire diversa prædicata, poterunt convenire & Enti actuali & possibili. Jam autem diversitates quas adfert objectio, sunt petite ex alio & alio statu. In particulari autem ad adlatam diversitatem prædicatorum respondendo dici potest, quod ens possibile non sit ens simpliciter, nomine entis simpliciter accipiendo ens existens, quod ipsum prædicatum, habetur ratione status. Ad II. si per Ly est, intelligatur existit, falsum est, quod hoc sensu sit ab æterno possibile; si autem per Ly est intelligatur quod importat nexum prædicatorum essentialium vera est propositio. Sed inde petibilis diversitas est ratione status, quod scilicet status existentie non sit æternus. Ad III. Illud merè etiam est petatum ex statu; conveniunt autem omnia in hoc, quod est dicere radicem nexûs prædicatorum.

OBJECITUR III. Ens prout possibile nunquam potest existere, quia purè possibile importat negationem existentie, ergo possibile & existentia non est idem.

RESPONDETUR. Imprimis hoc argumentum non petere conclusionem, sed ad vim etiam ejus attendendo non concludit, quia quamvis ens possibile retentâ purâ possibilitate, nunquam possit existere, potest tamen existere non retentâ possibilitate purâ, neque tunc convertitur negatio existendi in existentiam, sed idem ens, acquirit secundum diversitatem status, alia connotata.

DIFFICULTAS III.

Attinguntur aliqua Possibilitatem concernentia contra Recentiores.

EX modo præactis de possibilitate.

HABETUR imprimis. *Possibilitatem rerum ab æterno nihil in se actuale esse, quod sit actu nemine cogitante.*

RATIO. Tum quia nec essentia rerum sunt actu ab æterno: de quo, ubi de ente prout es-

sentia est. Tum quia illa actualitas non deberet esse physica, aliàs conjungeretur existentie, ergo deberet esse actualitas metaphysica. Actualitas autem metaphysica, est actualitas intentionalis, adeoque actualitas, quæ non est actu nemine cogitante, qualis deberet esse illa actualitas possibilitatis, in se, ab æterno. Tum quia ex nullo fundamento majus jus habet possibilitas ad esse actu ab æterno, quàm habeat universale ad esse actu à parte rei, & tamen hoc per nos non est à parte rei actu, sed fundamentaliter.

HABETUR Deinde, *Possibilitatem hanc esse actu ab æterno quoad suum fundamentum*; idque ex eo. Advertit intellectus creatus ad Omnipotentiam impotentem producere hircocerum, potentem autem producere hominem, advertit ad intellectum divinum non noscentem conjungibilitatem realem hircocervi, noscentem autem conjungibilitatem animalis & rationalis, advertit ad voluntatem divinam impotentem amare hunc nexum hircocervi, potentem autem amare nexum hominis, eruitque conceptum talis nexûs, qui est possibilitas passiva respondens Omnipotentie: possibilitas objectiva omnicogitativitati: possibilitas eligibilis vel amabilis respondens voluntati.

HABETUR. Denique fundamentum, ut hæc *Possibilitas possit reduci intentionaliter in actum*; hoc ipso enim non esset salvabilis ratio fundamentalis, nihil enim fundaret, hocque reductum intentionaliter in actum erit quoddam actuale esse, eritque actuale reale prout reale opponitur ficto, non autem prout opponitur intentionali, procedenti cum fundamento in re, ut colligi potest ex dicendis de universalibus in communi, de præcisionibus objectivis &c. Hocque appellari potest possibilitas passiva, objectiva, intrinseca intentionaliter spectata, &c.

Quod autem debeat talis conceptus possibilitatis admitti idque metaphysicè spectatæ, ostendunt rationes contra Hurtadum adlatæ. Dixi possibilitatis metaphysicè spectatæ, quia illa physicè ab æterno nihil est, Physicumque esse ab æterno non habet nisi in Omnipotentia, sicut etiam physicè spectatum universale, non aliud est, quàm singularia, physicè item spectatæ essentia, non aliud sunt quàm res existentes, & physicè spectata relatio, non aliud est quàm duo extrema.

RESPONDEBIS. Sequetur ex dictis, illud esse actuale intrinsecum creaturarum possibile, distingui solâ ratione ab illo fundamento, nempe ab essentia Dei, Omnipotentia, Scientia, &c. Sic universale formaliter quoad suum esse objectivum acceptum, solâ ratione distinguitur à singularibus, & tamen terminus Omnipotentie, non solâ ratione distinguitur ab Omnipotentia.

CONTRA est, quia non in omnibus est proportio

portio inter esse possibile creaturarum ab aeterno, & inter universale formaliter, sed tantum in neganda utrique actualitate aeterna distincta creaturis possibilibus, non sequetur ab aeterno non dari terminum omnipotentiae, licet nullam actualitatem ille terminus habeat; Sicut nec habet universale actualitatem ante operationem intellectus praescindentem. Hinc actualitas illius termini, non est nisi per rationem, totaque illius actualitas est non nisi in omnipotentia; sed ratio termini non est per rationem; nam non ratio facit quod omnipotentiae potenti producere Petrum respondeat Petrus potens produci, licet ille Petrus ita respondens nullum esse actuale habeat ab aeterno. Brevis ergo actualitas aeterna termini possibilis, est non nisi ratione distincta ab omnipotentia, sed ratio terminandi est nemine cogitante distincta.

NOTO. Cum omnipotentiae relatae ad creaturas possibiles sit relatio transcendentalis, non requirit actualitatem sui termini. Unde etiam hoc quod terminativè respondetur relationi illi transcendentali, quam dicit omnipotentia ad creaturas possibiles, idem inquam erit id, in quod transcendentaliter dominium Dei extenditur. Iidem non exigit actuale esse ejus de quo transcendentaliter disponit, licet actuale praedicamentale, ut ita dicam, Dei dominium exigat esse actuale Creaturae. Sed de hoc terminativo alibi etiam discurretur.

Defenditur ergo in praesenti quod metaphysicè spectata ab aeterno possibilitas, & merè quoad suum conceptum, non sit ipsa formaliter omnipotentia, sed quid respondens eidem & terminus ejusdem, sicut etiam physicè & à parte rei spectata in tempore non est ipsa omnipotentia, sed ipsa singularia & existentia. Concedimus tamen oppositis quod physicè ab aeterno possibilitas nulla sit nisi continentia in omnipotentia.

Ex his habitis.

ASSERO I. *Est de fide possibilitatem activam creaturarum esse Omnipotentiam.*

SUPPONO ad hoc & sequens assertum. Bonam esse hanc Categoriā, Possibilitas ut sic, Possibilitas activa, Possibilitas passiva. Quod bona sit hae Categoriā Ratio est. Quia non repugnat: non repugnantia autem Categoriā est importatio ejusdem, hocque ipso non esset bona, si illa membra non importaret. Si bona est hae Categoriā debet esse in membra distincta, nihil enim in se ipsum dividitur: si debet esse in membra distincta, unum de altero dici non debet. Ratio: quia distincta habent inter se alietatem: Si alietatem, unum non est aliud: si non est unum aliud, nec unum de alio dici potest: nam hae dictio, deberet esse vera adeoque significans identitatem, quae non habetur inter duo distincta. Hoc supposito.

RATIO asserti est, quia nomine possibilitatis activae intelligitur ens primum & necessarium, causa & principium productionis reliquorum omnium, hoc autem principium de fide est esse omnipotentiam.

ASSERO II. *Est de fide possibilitatem passivam non esse Omnipotentiam.*

RATIO. Quia hae possibilitas est terminus omnipotentiae, adeoque vel ex ipsa ratione termini distinctum quid ab omnipotentia; est autem de fide terminum omnipotentiae, non esse omnipotentiam, alias omnipotentia esset quid causabile, producibile, &c. quod est contra fidem.

ASSERO III. *Non esse cautum dicere indiscriminatim possibilitas est Omnipotentia.*

RATIO. Tum quia propositio quae in uno sensu est de fide, in alio sensu est contra fidem, non debet indiscriminatim proferri, ut in quacunque simili materia inductio ostendit. Ergo cum hac propositio, Possibilitas est omnipotentia, in uno sensu sit de fide, in alio sit contra fidem, non debet indiscriminatim proferri. Tum quia locutiones ambiguae ad diversum sensum trahibiles, in materia turpi, sunt reprehensibiles: ergo multo magis in materia fidei, erunt non usurpandae. Rursus si nihil obstat, debent assumi majores & principia quae recedunt quam maxime ab erroribus impugnantibus fidem. Est propositio Tridentini, Deum non esse aequè causam actionis virtuosae ac peccaminosae. Porro si quis dicat: Possibilitas rerum est ipsa omnipotentia, dicet etiam consequenter possibilitatem peccati esse omnipotentiam, & cum omnipotentia respectu sui aequè se habeat, aequè se habebit Deus ad possibilitatem peccati ac ad possibilitatem actionis virtuosae: quae sequela melius est si non admittatur, ut ita ostendatur aliter se habere Deum non tantum circa existentiam sed etiam circa possibilitatem peccati. In terminisque his loquendo possibilitas peccati est omnipotentia, datur ansa ad admittendas & proferendas propositiones apprimè duras. Tum quia fallacia accidentis non usurpanda, ergo nec indiscriminatim procedens propositio in materia fidei. Quae omnia in hoc fundantur. Quia locutio ad hoc est à naturā instituta, ut conformetur menti, & quia mens hoc, de hoc intelligit, & non illud, & eo modo concipit, quo concipit, ideo & locutio conformari illi debet, & eo modo objectum exprimere, quomodo concipitur: hinc si sub termino possibilitatis reluceat restricta possibilitas per formalitatem activam, etiam exprimi debet per possibilitatem activam.

ASSERO IV. *Possibilitatem non esse meram denominationem extrinsecam.*

RATIO. Tum quia, si possibilitas esset mera denominatio extrinseca, non posset dici possibilitas omnipotentia, & tamen per oppositos possi-

possibilitas est omnipotentia; sequela probatur, visum, est denominatio extrinseca, neque tamen est visum visio: cognitum, est denuntiatio extrinseca, neque tamen cognitum est cognitum (supple sine addito ut illi possibilitatem sine addito appellant omnipotentiam) Ergo & possibilitas si est denominatio extrinseca non posset appellari omnipotentia. Tum quia omnis denominatio extrinseca, cadere debet super denominabile, ut ostendit inductio: cognitum enim cadit super objectum, visum super colorem. Et Ratio est, quia denominatio non solum ex extrinseca sua ratione, requirit esse denominativum, sed etiam requirit esse denominabile, cum sit ordo ad utrumque essentialis. Unde cognitio non tantum requirit essentialiter ut sit perceptio, sed etiam ut sit perceptio objecti, adeoque requirit denominabile; ergo etiam & denominatio extrinseca, quæ habetur ab omnipotentia, in linea possibilis, requirit habere subiectum; & hoc erit possibilitas passiva; de illa ergo quæro quid sit? Respondebis, Denominatio illa cadit supra essentiam, quæro quid illa sit? Respondebis nihil in se intrinsecè, sed per denominationem extrinsecam. Infero ergo non ostendis subiectum illius denominationis, vel subiectum illius ponis ipsam denominationem extrinsecam. Tum quia denominatio visi ab activâ visione pendet: hoc tamen non obstante, passiva visibilitas, quæ est color, non habetur à forma extrinseca, sed aliunde. Ergo nec passiva possibilitas habetur ab activa possibilitate, quæ est denominativa, ut dicis, extrinsecè, sed aliunde debet haberi. Tum quia omne denominatum extrinsecum proficiscitur à formâ denominante, participante pro primò formaliter, illam rationem, sic visum proficiscitur à visione, quæ per primò formaliter est de linea videndi, paries appellatur dexter à manu dextrâ, cui per primò formaliter, comperit esse dextrum. Et ratio est, quia cum denominatum extrinsecum habeat suam formam constituentem, & omnis forma, formaliter se ipsam primò, ut se ipsa formaliter primò denominatum extrinsecum, debet per primò formaliter, & ipsa esse de illa linea. Si autem denominatum extrinsecum proficiscitur à forma denominante, participante per primò formaliter illam rationem, etiam possibilitas passiva, proficiscitur à forma denominante, participante pro primò formaliter, illam rationem passivæ possibilitatis. Est autem de fide possibilitatem passivam, non competere omnipotentia, cum non sit de linea creabilis. Item omnis forma denominans, est pars intrinseca constitutiva sui denominati, ut ipsi docent, visum enim tanquam forma constituitur à visione, indubie autem possibilitatis passivæ sumptæ pro termino, non est pars omnipotentia, quæ tamen per oppositos, est forma denominans. Tum quia inintelligibi-

le est quomodo possibilitas passiva, sit denominatio extrinseca; sumus enim possibilis non est denominatio extrinseca ab igne possibili: Ergo nec possibilitas passiva, erit ista denominatio extrinseca ab omnipotentia. Tum quia in statu existentia connexio actualis prædicatorum non est denominatio extrinseca ab omnipotentia: ergo nec in statu possibilitatis connexio possibilis prædicatorum erit denominatio extrinseca; cum illa connexio sit eadem realiter, soloque statu differat, aliàs non ego essem actu, qui eram possibilis, adeoque nec essem, cum nihil sit, quod possibile non fuerit esse. Tum quia quæcunque assumatur major ad ostendum quòd definitio denominationis extrinsecæ, competat possibilitati passivæ, ea vel non erit admissibilis, vel potius ostendet quòd possibilitas passiva, non sit denominatio extrinseca. Tum quia omne quod denominatur extrinsecè nihil participat formaliter de illa linea in qua denominatur, si consideretur antecederet. Sic color visionis actualis vel visi actualis nihil habet antecederet ad visionem: Paries item nihil habet dextri antecederet ad situm manus dextræ, intelligibile autem est quòd antecederet ante denominationem oriundam ab omnipotentia, nihil sit nexibilitatis prædicatorum animalis & rationalis. Tum quia etiam posito quòd possibilitas passiva sit denominatio extrinseca, quæro quid importet illa possibilitas passiva? non omnipotentiam, quia hæc est forma illius denominationis; hic autem quæritur quasi de effectu illius denominantis formæ, & post quascunque responsiones formabiles tandem dici debet esse nexum prædicatorum vel ut alii loquuntur non involvere contradictionem; cur ergo illud potius non erit ipsa possibilitas passiva, & non illa denominatio extrinseca?

RESPONDEBIS. Denominationem primam non habere subiectum, supra quod cadat, possibilitas autem est denominatio prima.

CONTRA. Tum quia hoc ipsum est quod negatur, nempe possibilitatem passivam secundum sua prædicata esse denominationem. Tum quia non est major ratio, cur denominatio secunda supponat subiectum, & non supponat prima: nam utriusque ex eo par est ratio, quia dicit essentialem habitudinem denominatio ad denominabile; non haberet autem denominabile si non haberet subiectum; hæc enim verbis differunt: cumque omnis denominationis etiam primæ, debeat dari effectus formalis primarius, hic autem involvit essentialiter etiam subiectum, hoc ipso prima etiam denominatio, debet hoc subiectum habere. Tum quia quamvis prima denominatio non habeat subiectum physicum reale existens; nego tamen quòd non debeat habere subiectum metaphysicè acceptum, & dicens nexum suorum prædicato-

rum

rum essentialium. Et ponendo etiam quod possibilitas sit denominatio prima, erit prima non per exclusionem subiecti supra quod cadat, sed per exclusionem denominationis antecedentis.

ASSERO V. *Possibilitas passiva est aliquid in se intrinsecè, sed metaphysicè.*

RATIO. Tum quia, si eo sensu dicatur nihil esse intrinsecè in se, quia scilicet non existit, nec est à parte rei actu nemine cogitante id omnino est verum, & à nobis supra suppositum, sed si dicatur nihil esse etiam secundum nexum possibilem prædicatorum, nihil item esse metaphysicè, nihil item esse terminativè, id certè non probabitur. Tum quia datur relatio transcendentalis omnipotentiae ad possibiles creaturas, quæ nihil sunt physicè ab æterno; neque enim relatio transcendentalis exigit terminum actu existentem, hæc relatio transcendentalis non est ad omnipotentiam; nihil enim ad se ipsum refertur: nec etiam est illa relatio sine termino, quia hoc ipso non esset relatio; ad quid ergo terminatur? quod ipsum ad quod terminatur, cum sit id ad quod terminatur, debet habere aliqua sua intrinseca; nihil enim est sine suis intrinsecis, cum rei intrinseca, & quod res est, sint idem. Et sicut non potest esse quidquam sine eo quod est, ita nec potest esse sine suis intrinsecis: & cum possibilitas passiva sit ille terminus, qui possibilitas passiva est nihil in se intrinsecè. Tum quia quæro, cur possibilitas passiva nihil sit in se intrinsecè. Respondent, quia est denominatio extrinseca ab omnipotentia: quæro, quare est denominatio extrinseca? respondetur, quia nihil in se est intrinsecè: en circulum: Quæro simul de utroque cur nihil sit in se intrinsecè possibilitas passiva? & cur sit nonnisi denominativè extrinseca? Tum quia dicitur, per communem sententiam, Verbum procedere ex notitiâ omnium rerum possibilem; procedere item Spiritum Sanctum ex amore omnium possibilem; non procedit tunc ex amore omnipotentiae, quia hæc condistinguunt Theologi; & quia procedere ex amore possibilem est procedere ex amore ejus, quod est de linea creabilis, hoc autem omnipotentiae non competit, sed nonnisi prædicatum quod creet: non procedit etiam ex amore nihili, quia hoc ipso non procederet ex amore possibilem; ex nullo enim seu ex nihilo procederet: Ergo procedendo ex amore possibilem ex aliquo procedet, illud aliquid est aliquid, ergo non est in se nihil intrinsecè, esse enim aliquid includit se & esse suum intrinsecum, ergo falsum est quod sit in se nihil intrinsecè. Tum quia quæro an sit ista arbitraria imputatio, quod omnipotentia divina non possit creare hominem, qui sit animal cum differentia Simii locutivi? si est arbitraria, ergo & hircocervum potest creare omnipotentia. Si non

est arbitraria imputatio, quæri poterit ex omnipotentia, quare tu non potes producere hominem, qui sit Simius locutivus? Respondebit, quia in me non continetur; quæri poterit, quare non continetur; cur rationabiliter (adeoque conformiter objecto) non poterit inquiri: si esset possibilis nonne illum contineres? cur rationabiliter non posset respondere Omnipotentia, continerem. Ergo continentiae resolutorium per ordinem ad nostros conceptus erit possibilitas, & non continentiae, impossibilitas objecti; ergo illa impossibilitas & possibilitas, est impossibilitas & possibilitas; ergo falsum erit, quod possibilitas passiva nihil sit in se intrinsecè secundum datam explicationem. Et sicut dū quæro quare Deus non cognoscit Petrum cornutum? legitime responderetur, quia cornua non habet: ita & in præsentia. Ut tandem finem habeat responsio ponenda est tam in omnipotentia, quam in omni scientia duplex determinatio continentiae: Prima formalis intrinseca, & hæc habetur ab & in ipsamet entitate omnipotentiae, ut contineat omnia possibilia; Secunda determinatio est extrinseca & transitiva, & hæc cur non possit haberi à possibilitate nulla est ratio; & si potest haberi, habetur; nam in necessariis & essentialibus posse haberi, arguit habere: perfectiorque per hoc statuatur omnipotentia, quia multa rejiciuntur, in objecti conditionem.

RESPONDERI POTEST ex Mauro. Non posse hujus dari rationem distinctam à Deo; quæ sit distincta à Deo; quia est ipse ratio prima omnium rerum; licet possit dari ratio identificata cum Deo.

CONTRA. Etiam in statu existentiae Deus est ratio prima omnium rerum, & tamen hoc non obstante dantur rationes ex ipsis objectis à Deo distinctis petibiles. Imò non est philosophicum dicere, ideò ignem calefacere quia Deus noscit illum vel vult calefacere: Ergo & in præsentia idem dicendum. Deinde redit argumentum factum, quod non repugnet pro causali adferre cur prima ratio omnium rerum quæ est Deus non possit producere hircocervum, quia est impossibilis vel dicens disconnectionem suorum prædicatorum, si non repugnat id pro causali adferre, hoc ipso pro causali adferri debet, nam in necessariis à posse, tenet argumentatio ad actum, eritque adhuc Deus ratio prima in genere efficientis Ideæ &c. sed non prima & ultima in ratione resolvendi interrogationes.

* *

Punctum

Punctum Difficultatis 1.

Solvuntur Objectiones.

OBJECIT I. Maurus Quaest. 47. Logica. Deus est adæquata potentia producendi creaturas ex nihilo omnino creaturarum; sed si requireret ex parte creaturæ aliquam possibilitatem passivam, Deus non esset adæquatissima potentia producendi creaturas ex nihilo omnino creaturarum, eo pacto, quo quia ignis ad incendendum stupam requirit aliquam incendibilitatem ex parte stupæ non habet potentiam adæquatissimam producendi incensionem stupæ omnino ex nihilo.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Negando item, quod ignis non habeat adæquatissimam potentiam producendi incensionem, licet requirat incendibilitatem. Ratio est quia incendibilitas non tribuit vires ullas & causativitatem incendiendi igni; nomine autem potentia veniunt vires illæ. Hinc distingui potest Minor, si possibilitas passiva requireretur tantquam dans vires & causativitatem Deo, non esset Deus adæquata causa concedo. Si possibilitas requireretur merè per modum termini, & capacitatis ad produci. Nego Minorem. Adde potentiam divinam producere creaturas ex nihilo existentia creaturarum; non autem ex nihilo nexus prædicatorum.

INSTAT. Aristoteles dum negavit Deo potentiam creandi ex nihilo solum requisivit ex parte creaturæ aliquam potentiam intrinsecam passivam; ergo etiam adversarii, si requirunt ex parte creaturæ potentiam passivam, negant Deo virtutem creandi ex nihilo.

RESPONDETUR. Id quod requisivit Aristoteles erat potentia intrinseca passiva, sumpta pro materia & subiecto: quæ enim ex nihilo existentia producuntur, sed ex præsupposita materia non dicuntur creari: possibilitas autem passiva, quæ à nobis defenditur, non est materia, cum per nos etiam Angeli dicant possibilitatem passivam ad creari, & tamen Angeli materiam non supponunt.

OBJECITUR II. ab eodem. Vel hæc possibilitas passiva dicit aliquam perfectionem, vel non? si primum, est ens reale necessarium, æternum, distinctum à Deo, quod est absurdum, quia solus Deus est necessarius & æternus: si autem nullam dicit perfectionem, absurdum est, quod sit necessarium.

RESPONDETUR. Quod hæc possibilitas passiva dicat perfectionem Metaphysicam & est ens reale prout opponitur ficto, sed non ens reale, hoc est, existens realiter, existens necessarium; hoc enim soli Deo competit: cum hoc tamen stat ut nexus prædicatorum v. g. hominis cum animali & rationali, non sit contingens, adeoque necessarius: Stat item quod exi-

gentia ut homo non sit nisi animal rationale non sit temporalis, adeoque sit æterna, quod ipsum est illa possibilitas passiva.

INSTAT. Vel possibilitas habet hanc perfectionem à Deo, vel non? non potest dici quod habeat à Deo, quia Deus nulli communicat necessario perfectionem finitam: neque illam habet à se, quia omnis perfectio est Deus, vel est à Deo.

RESPONDETUR. Quod habeat hanc perfectionem à Deo secundum esse possibile & causabile in statu existentia in se inclusum, licet non habeat à Deo secundum influxum aliquem actualem antecedentem statum existentia. Adde hoc quod est esse à se duplex est, unum inveniens actualitatem existentia, & hoc importat esse Deum, aliud esse à se, quod est merus nexus indispensabilis, & inviolabilis, & non ex placito Dei, prædicatorum rei, dicentium tamen indigentiam Dei ut extrahantur ex nihilo existentia, & tale esse à se, non arguit esse Deum, convenitque rei in quantum possibile est.

OBJECIT III. idem. Dicere quod necessario ab æterno detur aliquod esse reale distinctum à Deo, est parum conforme fidei principiis, quæ docent omne ens reale aut esse Deum, aut à Deo factum fuisse.

RESPONDETUR. Neg. sequel. Fides autem dicit omne ens reale existens, esse Deum aut à Deo factum, non autem de ente reali, quod opponitur non nisi ficto, & necdum habet existentiam, sed solum nexum prædicatorum dicentium producibilitatem sui à Deo.

OBJECIT IV. idem. Quia fuit hæresis Manichæorum quod ab æterno necessario extiterint duo prima principia, alterum bonum quod est Deus, alterum malum, sed sententia ponens possibilitatem passivam actualem, distinctam à Deo ponit ab æterno duo principia rerum, alterum infinite bonum, alterum non bonum, sed defectuosum, nimirum possibilitatem passivam distinctam à Deo.

RESPONDETUR. Manichæi ponebant duo principia in genere efficientis, quod à nobis non ponitur, sed ponitur unum principium effectivum cui respondet effectibilitas, quæ est ipsissima possibilitas passiva, quæ ipsa possibilitas, non est quid defectuosum, quia essentiali nexui nihil deest, ut sit essentialis nexus, & animali rationali, nihil deest ut sit homo.

INSTAT. Etiam possibilitas passiva prærequiritur ut principium passivum: Deinde illud quod prærequiritur ut res possit esse, prærequiritur ut principium: potentia enim ut res sit, manifestè est principium, sed hæc possibilitas passiva prærequiritur, ut res possit esse, ergo prærequiritur ut principium.

RESPONDETUR. Nego possibilitatem passivam prærequiri ut principium passivum; quia nomine hujus venit ipsa materia, quæ est principium

cipium passivum; jam autem possibilitas non est ista materia. Rursus, quod praequiratur per modum activi, praequiratur ut principium, sed nego possibilitatem passivam requiri ut principium activum.

OBJICIT V. idem. Quia videtur hæc sententia procedere secundum principia Ethnicorum qui ab æterno præter summum bonum, qui est ens optimum, posuerunt alios Deos non optimos, nam præter Deum, ponitur etiam possibilitas creaturarum, quæ non est optima.

RESPONDETUR. Posuerunt Ethnici Deos non optimos, existentes tamen. Possibilitas hæc non ponitur existere ab æterno; & in se ipsa secundo essentialiter, involvit indigentiam Dei ad sui in statum existentiae positionem; adeoque nihil habet de linea Deitatis.

OBJICIT VI. idem. Quæ magis distant à divina bonitate, magis distant à divina necessitate; Deus enim est necessarius ratione suæ bonitatis infinitæ; sed possibilitates istæ magis distant à divina bonitate, quàm Dii secundarii Gentilium; Ergo magis distant à divina necessitate; Ergo si adhuc istæ possibilitates sunt necessariæ, à fortiori poterunt inferre non esse absurdum, ut dentur Dii secundarii, necessariæ.

RESPONDETUR. Neg. Minorem: Cum enim possibilitates istæ, sint nexus essentialium prædicatorum, adeoque nexus non implicantium contradictionem; è contra cum Dii secundarii implicent contradictionem, fit ut possibilitas passiva minus distet à divina bonitate; concessa autem hac possibilitate, quæ est dictus nexus, non apparet qui concedi deberet disconnexus qualis est in pluribus Diis, cumque hæc possibilitas non sit existens, Dii autem illi debeant esse existentes; hinc concessa illa possibilitate, non erit necesse concedere Deos secundarios; nihilque est absurdi concedere aliquid necessarium quoad connexionem prædicatorum, modo non concedatur necessarium quoad existentiam; quia hoc soli Deo competit, qui necessario est unus.

INSTAT. In hac materia valet argumentum quo Manichæus relatus à S. August. ex eo quod Catholicus concesserit muscam non esse conditam à Deo, intulit nec hominem: Si enim possibilitas aliqua distincta à Deo est æterna & necessaria, etiam mundus poterit esse æternus & necessarius juxta errorem Gentilium.

RESPONDETUR. Si poneretur possibilitas aliqua distincta à Deo eaque existens, & non nihil existentia, posset inferri etiam mundum existere ab æterno; sed si non ponatur illa possibilitas existens, sed capax existere, indigereq; Deo, ut in statum existentia reducat, solum sequitur poni etiam possibilitatem mundi ab æterno indigentem ut ex nihilo existentia extrahatur à Deo.

OBJICIT VII. idem, in Responsione ad secundum. Opposita sententia procedit secundum principia quorundam Ethnicorum, qui posuerunt supra Deum, qui est primus intellectus, rationem formalem Rerum, quæ non sit intellectus; tales enim possibilitates distinctæ à Deo, non sunt intellectivæ; Ergo si tales non implicantia sunt ratio cur Deus possit facere possibile, aliquid non intellectivum est ratio potentia divinæ intellectivæ, quod est, sicut si diceretur quod prima ratio supremi intellectus, sit lignum.

RESPONDETUR. Ponentes fatum volebant illud influere in eventus felices, & infelices, tribuebantque illi vim reactivam, & administrativam mundi &c. nihil autem simile per nos tribuitur illi possibilitati, talesque non implicantia non sunt ratio omnipotentia divinæ, vel tribuentes illi vim agendi vel superaddentes illi vim intelligendi, sed sunt ratio omnipotentia hoc est, responsivum per ordinem ad nostras intentiones in re fundatas, quare hoc quidem contineatur in omnipotentia, illud non contineatur.

INSTAT. Secundum hæc principia sequitur, quod prima illa idea sit ideatum ab aliqua priori idea, ratio enim cur Deus cognoscat hominem esse possibilem & animal rationale, est veritas objectiva, necessaria & æterna, per quam homo est animal rationale, & est possibilis, sed cognitio divina est prima idea, ergo prima idea, habet rationem cui conformetur, adeoque habet aliam priorem ideam, & quia possibilitas passiva non est intellectiva, neque sapiens, sequitur quod prima idea non est intellectiva, nec sapiens, quod est Ethnicismus: Si enim aliquid non intellectivum potest esse necessario ratio primi intellectus, à fortiori aliquid non intellectuale poterit esse ratio mundi, sufficitque istam non implicantiam potentialem immisitam homini ponere, tanquam rationem à posteriori, per quam cognoscamus, quod Deus possit facere hominem.

RESPONDETUR. Sicut distinguimus activam & passivam possibilitatem, ita distinguimus formalem & objectivam ideam, formalis debet esse intellectiva, secus objectiva, quæ est illud quod exprimit divina in se idea, hoc est nexus ille prædicatorum, qui interdum est nexus intellectivi, qualis est nexus prædicatorum Angeli, animæ rationalis &c. sed ipse non debet esse intellectivus, Deusq; est formalis idea prima, sed non objectiva. Idea prima formalis debet esse intellectiva, quia hæc debet esse Deus, debet esse ipse Artifex supremus, respondens ideans, ut secundum hanc ideam, omnipotentia operetur. Hancq; ideam operativam ponere non intelligentem absurdum est; idea autem ipsa objectiva, prior præ formali, potest non esse intellectiva nec omnipotens. Deinde sequitur

sequitur quidem quod ex modo nostro concipiendi pro aliqua conceptuum serie, sit prior illa possibilitas passiva, sed non prior re, nec repugnat dari prius ratione aliquid præ omnipotentia, quare hoc omnipotentia contineat, si autem est prior solum ratione, non potest esse ratio mundi ponendi, quia ratio ponendi mundi, seu effectivum illius, non debet esse aliquid non nisi Metaphysicum, sed verè existens, verè omnipotens &c. præcipue quia illi priori per rationem, nulla etiam assignatur vis, se ipsam extrahendi ad statum existentia, sed in illa possibilitate passiva, imbitur indigentia DEI. Erit autem hæc ratio prior, quia ratio cui ipsa omnipotentia hoc producere possit, reddi debet, quia est possibile.

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur recentioribus argumentis.

OBJECIT I. Quidam. Agens quod perfectius est, eo minus indiget ad operandum ullo extrinseco, quod habeat conditionem seu rationem principii, seu conditionis ad agendum determinantis. Vnde perfectior artifex paucioribus indiget instrumentis ad efficiendum opus artis. Hinc etiam potentia creativa est perfectissima, quia non prærequirit quidquam ex parte objecti circa quod operatur. Et ratio est, quia ex S. Thoma agens in tantum agit in quantum est in actu, eoque plus potest agere, quod plus habet de actu, sed quod plus habet de actu, eo plus habet de virtute determinate, id eoque minus indiget determinari ab extrinseco ad agendum: ergo agens summe activum & plurimum habens de actu, qualis est Deus, minime indiget ullo extrinseco determinativo ad operandum, ergo non debet dari ulla possibilitas ex parte creaturarum complens Deum in ratione determinante potentis producere creaturas sed potius talis determinatio debet esse intrinseca & adæquatè identificata cum Deo.

RESPONDETUR imprimis. Concedendo totum, quia etiam ii qui admittunt cum Scotistis possibilitatem creaturarum esse ens quoddam actuale diminutum, volunt quidem illud esse objectum actuale omnipotentia, & ab illo actu distinctum, non tamen habere rationem principii, nihil enim per illos saltem primò producere potest se ipsum. Deinde posset responderi cum distinctione, completivum agentis, completivum omnipotentia dupliciter cogitari posse; primò activum completivum, & hoc nullum habetur. Secundò completivum per modum objecti, termini, & circa quod, taleque completivum non repugnat habere Deum, sicque sumptum completivum est possibilitas creaturarum. Addo Majorem prout ponitur non concludere: Instantia enim quod perfectior artifex paucioribus indigeat instrumentis,

saltem universaliter non tenet, quia plura requiruntur instrumenta, ad fabricandum minutulum horologium, quam ad soleam vel clavum. Potentia creativa si comparatur ad potentiam productivam unionis hypostaticæ, si non est inferior, saltem se habent, sicut excedens & excessum; & tamen potentia productiva unionis hypostaticæ indiget naturâ creatâ, tanquam comprincipio in genere causæ, suo modo materialis. Nullo tamen tali comprincipio indiget potentia creativa.

INSTAT I. Essentialis perfectio & bonitas Dei est adæquatè identificata Deo, nec constituitur partialiter per aliquid extrinsecum: sed esse communicativum ad extra, pertinet ad perfectionem & bonitatem essentialem Dei; ergo esse communicativum ad extra seu productivum creaturarum, est denominatio adæquatè intrinseca Deo, nec constituitur etiam partialiter per ens diminutum possibilitatis creaturarum.

RESPONDETUR. Concedo totum, quia nec Scotistæ docent esse productivum creaturarum constitui partialiter per ens diminutum possibilitatis, sed solum respicere tanquam terminum. Deinde secundum dicta esse communicativum adæquatè est intrinsecum Deo spectatum secundum esse activum, non autem spectatum secundum terminum, objectum, & circa quod. Quod attinet ad Majorem, dici potest: Quod essentialis perfectio & bonitas Dei quædam absoluta est, & hæc adæquatè identificatur Deo, hoc ipso enim non esset absoluta, & alia est bonitas respectiva, hæc ex ipso titulo respectivi indiget alio tanquam termino & objecto, sed non tanquam parte, de quo alibi.

INSTAT II. Deus ita per se ipsum est principium liberum effectivum creaturarum, sicut per se ipsum Pater æternus est principium necessarium Verbi divini? Atqui ut Pater æternus generet verbum nihil præsupponitur extrinsecum, nec prærequiritur possibilitas tenens se ex parte Filii distincta à Patre.

RESPONDETUR. Etiam possibilitatem productionis Verbi prærequiri, præquisitione non physica, sed metaphysica, si enim esset impossibile VERBUM, non illud produceret Pater: sicut quia præsupponitur esse impossibilis secundus Filius, non illum producit Pater.

INSTAT III. Illud additamentum possibilitatis vel est quid posterius objectivè Deo vel concomitans, vel prius objectivè. Si est posterius objectivè, aut concomitans, non poterit dari à priori cur possit DEUS producere muscam, & non hircocervum: Si autem est prius DEO, ergo est à se, nec dependet à DEO in ullo genere causæ, origoq; mundi resolveretur in illam entitulum cæcam, quia non est sapientia; & non volentem, profluatque universum ex fatali necessitate, quæ est positio Gentilium.

RESPONDETUR. In nostris principiis nullam
† D † dari

dari entitatulam hanc, quæ sit actu nemine cogitante ab æterno. Directè ad argumentum dicitur. Possibilitatem secundum esse suum fundamentale spectatam esse ipsummet Deum: adeoque nec prius aliquid nec posterius Deo: Spectata autem secundum suum esse actuale erutum ex illo fundamento, licet sit quid metaphysicum, prius est intentionaliter, & præsuppositivè ante omnipotentiam non erit tamen physicè à se, licet pro illo statu præscindet, ab esse ab alio antecedenter, præscindatque in illo priori à dependentia per prius à Deo, origoque mundi resolvetur in illam possibilitatem non tanquam in causam, sed tanquam præsuppositum, ut causari possit; consequenter non pendeat mundus physicè à fatali necessitate, pendeat tamen à necessitate metaphysica, ut homo v.g. sit non nisi homo.

Addo illam ipsam metaphysicè spectatam possibilitatem fundare in se, ut non sit à se, sed ab alio, hoc est, ut sit objectum producibile à Deo consequenter fundare in se dependentiam à Deo: pro statu autem suo physico & reali, erit simpliciter ab alio. Et ad hoc esse Metaphysicum puto alludit phrasis Aristotelis, qui *essentias rerum* appellat *æternas, immutabiles*, & ita ut illud non esse à se, esse ab alio, non sit quidem ratione antecedens possibilitatem passivā, sit tamen illi innexa formalitas, eamque comitans pro illo etiam priori, quo possibilitas passiva præsupponitur omnipotentia, quia imbibit in se, ut dictum supra, indigentiam Dei ad existendum actu.

Addit idem, gratis poni hanc possibilitatem passivam, imò tenentes illam, declinant per Maurum ad hæresim Manichæorum ponentium duo rerum principia, unum summè bonum, alterum malum, cum etiam nos ponamus unum principium summè bonum, nempe omnipotentiam, alterum non bonum, seu expers omnis bonitatis; & tamen tanquam principium passivum, consequenter ut principium: nam potentia ut res sit manifestè, est principium rei. Sed hoc etiam additum non convincit: nam non gratis ponetur possibilitas passiva ob argumenta supra allata & infra ponenda. Imò nec arguens inculcat in argumentis possibilitatem passivam: hoc ipso enim solvisset aliqua argumenta. Mauri censura non tenet. Quia Manichæi ponebant duo principia physica, possibilitas autem passiva non est quid physicum æternum. Ponebant illa principia duo activa; Possibilitas autem passiva non agit se ipsam, negoque quod objectivus nexus prædicatorum, sit expers omnis bonitatis, cum sit ipsa rei essentia, quæ necessariò est in se etiam bona. Ille terminus principium passivum non usurpatur à nobis. Potentiaque sumpta pro termino, non potest ullo modo sine addito appellari principium.

OBJICIT II. Idem. Si daretur aliquid in se in-

trinsecè æternum ac necessarium distinctum à Deo, darentur plures æternitates à parte rei distinctæ, una scilicet competens muscæ, altera Deo, hoc autem repugnat.

RESPONDETUR. Nullam à nobis Physicam actualem æternitatem concedi possibilitati rerum; distinctam ab activa possibilitate; impossibilitas autem plurium æternitatum, est impossibilitas physicarum æternitatum, licet quod homo essentietur animali rationali non pendeat id à tempore, sed ab æterno sit fundamentaliter verum.

INSTAT I. Omne ens æternum ac simpliciter necessarium est realiter summum bonum, summum autem bonum est essentialiter unicum: Ergo hæc æternitas & necessitas non competit possibilitati. Major probatur autoritate Augustini. Et ex eo quia omne æternum ac necessarium nullam dicit imperfectionem; ergo omnem includit perfectionem, consequenter est purum & summum bonum, sicut quod nullas includit tenebras, omnem includit lucem, exclusioque unius contradictorii, est inclusio alterius. Quod argumentum pluribus dilatatur: v. g. Quod nullum habet meritum & capacitatem terminandi prudentem averfionem voluntatis; illud nullam includit imperfectionem. Omnis enim imperfectio potest esse objectum prudentis displicentiæ. Sicut omnis perfectio, objectum est complacentiæ prudentis, & omnis veritas, objectum assensus, falsitas dissensus. Atqui nullum æternum ac necessarium, est capax terminare prudentem fugam & displicentiam: Stultum enim est fugere quod evitari non potest: quia fugere quod evitari non potest, est velle ut non sit id quod repugnat non esse, quod est absurdum.

RESPONDETUR. Omne ens æternum ac necessarium physicè est summum bonum; non autem si sit necessarium non nisi metaphysicè & terminativè. Illa propositio omne æternum ac necessarium nullam dicit imperfectionem, procedit de æterno ac necessario tam Physicè quam Metaphysicè; ex ly tamen nullam dicit imperfectionem, non rectè pro omni eventu inferitur, omnem includit perfectionem; quia ad salvandum Ly nullam dicit imperfectionem, sufficit non carere sibi debitis: potest autem aliquid non carere sibi debitis, & tamen omnem in quocunque genere, non dicere perfectionem. Ut asinus in ratione asini, nullam dicit carentiam perfectionis sibi debita, neque tamen includit omnem perfectionem. Meridianus item aer, nullas dicit tenebras, & tamen falsum est, quod Lux meridiana, dicat omnem lucem. Exclusio quidem unius contradictorii, est inclusio alterius, sed negationis Lucis, non est contradictorium omnis Lux. Ad reliqua quæ adferuntur, dici potest, quod possibilitas passiva in aliquo genere prudentem averfionem

nem terminare non possit; neque enim prudenter potest aliquis velle, ne homo sit animal rationale; Possibilitasque passiva nullam includit imperfectionem, hoc est carentiam sibi debiti, adeoque includit omnem debitam sibi perfectionem, sed non omnem simpliciter & absolute, quia hoc est proprium soli bono summo; Rursus possibilitas continet formaliter suam perfectionem, eminenter non continet alias; secus summum bonum, stultequis quis vellet perire passivam possibilitatem, quia implicat illam perire ob nexum cum omnipotentia, vellet enim Omnipotentiam perire, quod est absurdum. Attendendo autem ad hoc, quod possibilitas passiva creaturarum non dicat omnem simpliciter & absolute perfectionem, ex eoque contemni possit ne in actum reducat, dici potest quod nullum æternum ac necessarium physice sit capax terminare prudentem fugam & displicentiam, quod tamen est æternum ac necessarium metaphysice potest hanc displicentiam terminare in ordine, V. G. ad suum extra causas educi & poni in statu physico, non potest tamen terminare displicentiam prudentem circa ipsum nexum essentialium prædicatorum, neque enim DEO displicere potest, quod homo sit animal rationale.

INSTAT II. DEUS sibi ipsi se solo planè sufficit ut existat, & cum sit Dominus universorum, omnia à se distincta, habet sub dominio suo; ergo potest omnia à se distincta efficaciter contemnere, & dicere, nolo ut sit aliquid à me distinctum, sufficit mea essentia infinita: quod est principium Theologicum pro unitate DEI; quod apud nos vim non habet, si enim daretur aliquid ens simpliciter necessarium extra DEUM, qualis esset possibilitas creaturæ, non posset illud efficaciter contemnere; neque illud habere sub suo dominio, ut conceditur. Unde etiam illud deberet necessariò amari eadem necessitate, quā amat se, deberetque huicenti conferre ubiuitatem, æternitatem &c. Et tamen DEUS ipsam pretiosam humanitatem Filii sui respuere absolute loquendo potest.

RESPONDETUR. Hæc omnia esse vera de Ente necessario & æterno physice, & quoad existentiam, non de ente necessario, quoad essentialium prædicatorum nexum quamvis absolventem à tempore. Deinde quero an hominem possit Deus facere asinum vel non? si potest, ergo potest produci ens rationis: si non potest, quomodo Deus habet hominem sub dominio, cum de illo disponere non possit ut voluerit: Quod procedit etiam de ipsa possibilitate passiva. Et si Oppositi recurrant, quod sufficiat ad salvandum Dominium Dei ut possit de existentia, esseque actuali disponere, idem nos dicemus. Potest consequenter dicere Deus, nolo ut existat aliquid à me distinctum, sed non potest dicere, nolo ut aliquid à me distinctum,

habeat essentialem nexum suorum prædicatorum. Ex hoc autem principio quia potest Deus dicere, nolo ut sit aliquid à me distinctum, infertur benè, ergo Deus est liber in condendo mundum. Negatur etiam quod possibilitatem secundum essentialia spectatam possit contemnere aut efficaciter respuere Deus, cum non possit dicere; nolo ut homo sit homo, & per Theologos possibilia necessariò amat Deus, necessariò ex illorum amore spirat Spiritum sanctum, adeoque eadem necessitate, licet non appetiatiue amat illa ac se.

INSTAT. III. Certum est ex fide nihil distinctum existere ab æterno, sed si essentia creaturæ ab æterno fuit aliquid in se intrinsecè, eo ipso existebat, eò quod existere aliquid, nihil aliud est, quàm esse aliquid in se intrinsecè & non pure in Causa.

RESPONDETUR. Hoc argumentum probare, quod essentialis & possibilitati passivæ non sit danda actualitas, & realitas æterna, prout illa coincidit cum esse physico, sed non probat illis non convenire Metaphysicum esse reale, prout opponitur ficto, quod quidem independentè ab operatione sit nonnisi fundamentaliter, possit tamen conceptu nostro actuari, adeoque cum fundamento in re, & ita, ut veritas illius nunquam in tempore aliquo inceperit. Quando autem S. Thomas nullam admittit veritatem æternam nisi primam, loquitur de veritate existente: admittit enim S. Thomas cum Aristotele propositiones æternæ veritatis.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Solutio.

PONIT aliqua idem recentior contra esse distinctum creaturarum, quæ ne contra nos militent, hic sunt expendenda.

Objicit III. idem. Eo ipso quod intelligatur cognitio mea exprimere prædicata Lapidis, secluso quovis ente diminuto resultante ex mea cognitione Lapis denominatur formaliter cognosci, ergo lapis in esse cogniti formaliter constituitur per solam cognitionem ipsi extrinsecam præcisè. Et sanè videtur omnino idem dicere, qui dicit dari cognitionem de Lapide, & qui dicit lapidem cognosci, & tamen primum non includit entitatem diminutam.

RESPONDETUR. Quidquid sit de voce, an objectum notitiæ, debeat appellari ens diminutum, positio nostra in hoc stat. Cognitio est partus intellectus & objecti, nec potest esse sine objecto, & quia dantur propositiones æternæ veritatis, debebant dari & objecta æternæ veritatis: quæ quia ab æterno non erant actu, sed nonnisi fundamentaliter dicimus ex illo fundamento erui objectum illud, quod non sit idolum quoddam, quale in universalibus reje-

ctum est, sed sit illa ipsa res, cuius fundamentum habebatur, actuali cognitione atnctâ. Huic propositioni ne videatur argumentum adlatum nocere, tenendum erit, quod eo ipso quod intelligatur cognitio, intelligatur v. g. Lapis formaliter cognosci activè, adeoque haberi id, quod se tenet à parte intellectus, non tamen intelligitur lapis formaliter cognosci passivè; nam objectum illius cognitionis seu cognitum passivè, non est ipsa cognitio, sed ipse lapis, sine quo cognitio Lapidis esse non potest.

INSTAT I. Antecedenter ad cognitionem lapidis, lapis denominatur cognoscibilis per solam virtutem cognoscendi: Ergo etiam lapis redditur actu cognitus, per solam cognitionem actu existentem & lapidi extrinsecam.

RESPONDETUR. Activè cognoscibilem denominari lapidem à solâ virtute cognoscendi, passivè tamen cognoscibilis denominatur à suorum prædicatorum talitate, cuius in propositionibus æternæ veritatis nonnisi fundamentum actu habetur.

INSTAT II. Ens diminutum à quo lapis dicitur cognitus formaliter vel est extrinsecum lapidi, vel intrinsecum? Si primum, ergo tam bene potest denominari lapis cognitus à cognitione, quàm ab ipso ente diminuto; utrumque enim est extrinsecum lapidi. Si secundum; contra est, quia sæpè contingit objectum non existere dum cognoscitur: Unde tunc objectum sicut nullum habet esse actuale, ita nec potentiam receptivam intrinsecè, alicujus entitatis, quamvis diminutæ. Casuque quo à diversis duo contradictoria de eodem affirmantur, deberet objectum intrinsecè recipere duo esse objectiva utriusque contradictorii.

RESPONDETUR. In nulla sententia ens illud diminutum recipitur in objecto cognito, sed ipsum objectum cognitum vocatur ens diminutum. Directè dici potest quod illud ens diminutum (rectius diceretur objectum passivè cognitum) sit sibi ipsi intrinsecum, quoad esse cognoscibile activum, sit quid illi extrinsecum, & tenens se à parte intellectus, si autem esse cognoscibile activum tenet se à parte intellectus non poterit objectum absque illo (ut vocas) Ente diminuto, appellari cognitum.

INSTATIS III. Etiam posito quod resisteret hujusmodi ens, adhuc in illo non posset consistere possibilitas creaturæ: nam ex Perez possibilitas rei est primus conceptus rei necessariò existens à se: Si enim possibilitas hominis existeret ab alio antecedenter, jam pro illo priori homo haberet posse esse ante suam possibilitatem: Ergo cum ens istud diminutum sit posterius realiter cognitione ex quâ profuit, non potest esse possibilitas creaturæ.

RESPOND. Non satis intelligi, quomodo possibilitas passiva sit necessariò existens à se, cum id soli DEO competat, qui non est primus con-

ceptus possibilitatis passivæ; habetque possibilitas in se imbibitam indigentiam, ut à Deo ponatur, in statu existentiae.

INSTAT. Postea idem arguens, impugnando phrasim hanc. Possibilitas est ens diminutum. Quæ in quantum ostendunt quod possibilitas non sit quid actuale reale nemine cogitante ab æterno, bene concludunt, in quantum autem ens diminutum accipiunt grammaticaliter pro patiente defectum debitum perfectionis, non concludunt, quia Auctores non hanc diminutionem exprimere volunt, sed quod sit illic necessitas, sed diminuta, quia necessitas non inferens existentiam, est æternitas, sed non actualis extra causas, adeoque cum diminutione.

OBJECIT IV. Objectum propositionis affirmantis aliquam actualitatem debet esse actuale, & non purè potentiale, quia omnis propositio est vera per conformitatem ad suum objectum: sed possibilitas est objectum verificativum istius propositionis affirmantis aliquam actualitatem, quâ Deus ab æterno sibi dicebat, homo est actu possibilis, seu actu non repugnat: Ergo possibilitas hominis non est quid purè potentiale.

RESPONDETUR. Propositionis affirmantis aliquam actualitatem metaphysicam, sufficit ut sit objectum actuale intentionale, sicut & universale fabricatum ab intellectu, est objectum actuale intentionale; non est tamen necesse ut propositionis affirmantis actualitatem metaphysicam, sit objectum actuale physicum; ut ita servetur proportio & conformitas requisita. Et quia quando DEUS affirmat. Homo est actu possibilis, affirmat actualitatem metaphysicam, neque enim est ille homo actualiter physicè; ergo non debet illic quæri objectum actuale physicum, qualis actualitas physica ab æterno, soli DEO competit. Et certè illius propositionis: homo est actu possibilis, non tantum est sensus, datur actu possibilitas activa hominis, imò rigoroſè loquendo non debet esse hic sensus, quia possibilitas activa hominis non est homo, de quo tamen prædicatur Ly actu possibilis, sed debet esse sensus: datur actu passiva possibilitas, scilicet respondens intellectui divino ratione fundamenti, quod habet in suâ omnipotentia, quæ potest illum producere animal rationale, & nonnisi animal rationale.

INSTATIS. Esse quid in potentia convenit actu essentiae hominis quamvis non existentis: non enim hoc illi convenit in potentia, ne datur processus in infinitum: Ergo dari debet actualitas aliqua objectiva, ratione cuius verificetur hæc propositio: convenit possibilitas actu essentiae Antichristi, & si possibilitas Antichristi est quid in se intrinsecè verum & æternum, quomodo non datur actu.

RESPONDETUR. Si dicam, hoc ens actu non actuatur, velitque aliquis ex illo: actu infer-

inferre, quod hoc quod non est actu, actu existat, falsificantem redderet argumentationem suam: ita ex eo, quod essentia hominis vel Antichristi sit quid actu in potentia, seu quod conveniat possibilitas actu essentiae hominis inferre actualitatem, videtur esse falsificans argumentatio; idque ideo quia vi illius termini convenit possibilitas actu objectivè, significatur Ly non actuatur, sed actuari potest, hoc autem ipsam actualitatem pro futuro, non pro praesentide signat.

Ex præhabitis, Addo: Hanc propositionem *homo est actu possibilis*, si procedere dicatur de possibilitate activa est nemine cogitante ab aeterno vera, quia nemine cogitante datur ab aeterno omnipotentia quæ est possibilitas activa hominis. Si autem procedat de possibilitate passiva, non est nemine cogitante actu objectivè vera, sed non nisi fundamentaliter vera secundum explicata. Consequenter conceditur actualitas aliqua Metaphysica, non tamen Physica verificativa dictæ propositionis. Ad maximum hic inferitur actualitas termini, quæ est competens etiam his, quæ non sunt actu, quales sunt termini relationis transcendentalis.

Objicitur V. Per nos saltem consecutivè & secundariò possibilitas rerum est non implicare contradictionem, hoc autem dici non potest ens purè negativum, quia non identificaretur cum ente positivo: Sed possibilitas muscæ identificatur cum ente positivo, ergò possibilitas ejus est ens positivum.

RESPONDETUR. Illas solas negationes positivo non identificari, quæ sunt negationes tollentes ipsum positivum, & contradictorium positivum, alias idem esset & non esset, idem foret affirmatio & negatio. Possunt tamen negationes identificari non tollentes illud positivum, sicut identificatur homini negatio cervi, quia non tollit positivum hominis, non identificatur autè negatio hominis, quia tollit hominè. Identificatio autem illa negationis, ut suppono ex aliis materiis, est secundum id quod dicit illa negatio in Recto, ipsummet illud esse in recto enim dicit aliquid positivum. Reliqua argumenta ostendunt potius possibilitatem concipi debere per aliquid positivum quod etiam à nobis dicitur.

Punctum Difficultatis 4.

Expenduntur aliqua propositiones.

I. PROPOSITIO argumentis. *Essentia rei in se actu possibilis nihil est in se intrinsecè, sed est pura denominatio extrinseca desumpta ab omnipotentia.*

Prima pars propositionis hujus est vera in nostris principiis secundum limitationes adlatas, quod scilicet nihil sit intrinsecè physice. Secunda pars limitari debere, si enim sit sensus

nullum esse reale physicum convenire actu essentiae rerum, sed solum convenire illis continentiam in omnipotentia, & posse contineri, sic propositio sumpta est vera; sed hoc non deberet appellari denominatio extrinseca, contineri enim in aliquo tanquam in causa non est denominatio extrinseca, & hoc quod est contineri in omnipotentia habetur ex ipso etiam prædicatorum nexu præsupposito.

II. PROPOSITIO. *Antichristus possibilis est quoddam concretum Logicum pro subiecto dicens essentiam, quæ tamen nihil sit in se intrinsecè, pro formali verò in obliquo, idem Antichristus merè possibilis, dicit ipsam omnipotentiam DEI prout virtute continentem Antichristum.*

Quod attinet ad hanc propositionem; accipiendo subiectum illius, quod est essentia Antichristi de qua dicitur quod nihil sit in se intrinsecè, duo dici possunt: quod scilicet illa essentia nihil in se intrinsecè physice in genere existentia, actualitatisque quæ sit nemine cogitante, falsum tamen est quod sit nihil intrinsecè in ratione essentia, & Metaphysicè, quæ nihil quidem est actu ab aeterno, est tamen fundamentaliter. Rursus si est essentia, ergò non est nihil seu non esse essentia, alioqui non esset hoc, quod est, si autem illic non est non esse essentia, quomodo dicitur nihil esse in se intrinsecè in ratione essentia. Et certè pro illo priori, in quantum concipitur ante advenientem denominationem extrinsecam possibilitatis est jam essentia, per quid ergò constituitur? & illud constitutum erit quæsitus conceptus possibilitatis passiva.

III. PROPOSITIO. *Possibilitas activa denominat Antichristum possibilem, & sicut cognitum & amatum sunt concreta Logica, & pro materiali dicunt objectum, quod quandoque non est in se intrinsecè, pro formali verò dicunt cognitionem, amorem, à quibus veluti à formis extrinsecis objectum illud extrinsecum dicitur cognitum aut amatum. Ita & in presenti.*

Quod attinet ad cognitum & amatum. Putarem esse condistinguendas has propositiones: est cognitum, est amatum: à propositionibus: est cognoscibile, est amabile. In prioribus illis tota ratio habetur à formâ extrinsecâ, unde hæc denominata appellantur extrinseca: In posterioribus habetur quidem ratio cognitionis & amoris, quomodo enim esset aliquid cognoscibile si non dabilis esset ejus cognitio, dicit tamen etiam pro sua parte rationem cognoscibilis, rationem boni seu amabilis, quæ ipsa Formalitas antecedit rationem cognitionis & amabilitatis, non enim ideo aliquid amabile est à priori, quia amatur, sed ideo amatur quia amabile est: ita & possibilitas passiva se in presenti habet; non autem ut merè cognitum: quia possibilitas passiva non desumitur merè ab omnipotentia, quanquam condistinguendo cognitum in cognitum activè & cognitum passivè,

† D 3

cogni.

cognitum activè est à cognitione, cognitum autem passivè non est tantum à cognitione, de quo alàs in materia de Sacramentis, quod ipsum etiam sic declaratur. Possibilitas passiva dupliciter spectari potest. Imprimis in quantum est effectus, ut ita dicam, possibilitatis activæ, & sic indubiè secundum limitationes aliàs adlatas, effectus, est posterior causâ. Secundo possumus cogitare possibilitatem passivam, in quantum est ratio cur hoc contineri potest in ipsamet omnipotentia, & possibilitate activa, & in quantum possibilitas passiva est terminus Relationis transcendentalis, quam dicit omnipotentia. Et sic sumpta possibilitas activa, habet rationem posterioris, illiusque sic sumptus quaeritur conceptus metaphysicus.

DICES. Ex eo præcisè Antichristus denominatur possibilis ab æterno, quia ab æterno datur omnipotentia productiva Antichristi; ergò Antichristus in ratione possibilis denominatur adæquatè, à solâ omnipotentia. Antecedens probatur. Tum quia nihil dabatur ab æterno in se intrinsecè præter omnipotentiam Dei à qua posfit denominari Antichristus possibilis ab æterno. Tum quia causam posse facere effectum, & effectum posse fieri à causa, sunt idem realiter cum sola diversitate modi in apprehendendo.

RESPONDETUR. Antichristus denominatur activè possibilis, non nisi ab omnipotentia, quæ sola est actu physicè in se intrinsecè, passivè tamen possibilis, denominatur à nexu suorum prædicatorum, qui nexus, licet nihil sit in se intrinsecè physicè, est tamen aliquid in se intrinsecè metaphysicè. Et licet causam posse facere effectum, & effectum posse fieri activè à causa, sint idem realiter, causam tamen posse facere effectum, & effectum fieri posse passivè non sunt idem realiter, quia inter effectum qui fieri potest passivè, & inter causam quæ illum potest facere activè est distinctio realis, ut supponitur ex materia de causis.

INSTABIS. In essentia Dei sicut omnes essentia cognoscuntur, ita etiam continentur: ergò divina essentia, quatenus contentiva prædicatorum convenientium creaturæ, quamlibet creaturam adæquatè denominat possibilem.

RESPONDETUR. Sicut essentia creata præter cognitionem sui in essentia Dei habet suam in se cognoscibilitatem, ita potest habere possibilitatem passivam, negatur item creatas essentias, solum cognosci in essentia Dei, cum noscantur etiam in seipsis.

IV. PROPOSITIO. Status quidditativus essentiarum, est ipsa Deitas, quæ sola est in se actu & quidditativè, aliæ verò res, nō sunt quidditativè in se ipsis.

Hæc propositio mollior fuisset si additum fuisset de statu quidditativo essentiarum sed activè sumptarum: arguens enim in oppositum admittit possibilitatem activam & passivam, & tamen in argumentis & propositionibus hos terminos

non applicat. Deinde viderentur distinguendi status, quidditativus, & status physicus realis actualis, ille enim status quidditativus est status metaphysicus, aut potius Logicus, cuius est ad quidditates attendere, respondereque ad interrogationem. Quid est? & quia quaerendo quid est homo? non rectè respondetur est Deus, idè nec Deitas erit status quidditativus hominis, licet physicè spectata possibilitas hominis ab æterno nulla sit, nisi contineri in omnipotentia.

V. PROPOSITIO. Deitas de quâ solâ verificatur ab æterno propositio de secundo adjacente, sola etiam est prima necessitas, ac veritas objectiva necessaria æternæque verificans omnes huiusmodi propositiones necessarias.

RESPONDETUR. De solâ Deitate verificatur propositio de secundo adjacente, quia illa non est verificabilis nisi de existentibus physicè, solus autem Deus existit ab æterno physicè. Sed negatur quod sola essentia divina terminativè, verificet omnes propositiones æternæ veritatis: de quo alàs.

VI. PROPOSITIO. Essentia rerum creaturarum dicuntur actu æternæ, necessaria, ingenerabiles, incorruptibiles per denominationem, scilicet extrinsecam, id est, actualitate, æternitate, necessitate, ingenerabilitate divina essentia.

Hæc Propositio ut intelligatur: Per nos non datur ulla actualitas essentiarum ab æterno; in principiis ergò nostris activa æternitas essentiarum, est ipsa essentia divina; passiva tamen ingenerabilitas & incorruptibilitas, habetur etiam in objecto, per ordinem ad nostros conceptus, eò quod non in tempore incipiat esse verum, quod homo non possit esse nisi animal rationale, quodque hoc corrumpi non possit ne conveniat homini. Et sicut essentiarum creaturarum pluralitas non desumitur ab essentia Dei, concipi debent æternæ.

VII. PROPOSITIO. Sicut omnes bonitates essentielles creaturarum prius sunt in Deo, quam in creaturis, ita omnis veritas essentialis prius est in Deo, quam in creaturis.

Hæc propositio servit intento nostro: Sicut enim bonitas essentialis creaturarum non est essentialis bonitas divina, nec bonitas illarum est denominatio extrinseca, quia nec entitas illarum est denominatio extrinseca; ita & possibilitas creaturarum dabitur per ordinem ad nostros conceptus, quæ non erit mera denominatio extrinseca. Ea quæ adfert de negationibus alibi expendantur.

Punctum Difficultatis 5.

Restaurantur Argumenta.

Opposuit sibi prædictus recetior argumenta, quibus probatur possibilitatē non esse omnipotentem.

potentiam aut solam denominationem extrinsecam, illisque respondit, restauranda sunt hæc argumenta:

PRIMUM ARGUMENTUM. Quod sibi proposuit prædictus recentior est tale. Deus potest physicè producere rem possibilem, sed non potest producere physicè nihilum, nec etiam suam omnipotentiam: Ergo res possibilis est aliquid reale positivum distinctum ab omnipotentia Dei, ad quod terminatur Omnipotentia Dei, præcipuè quia unicuique potentia activæ debet correspondere potentia passiva distincta.

RESPONDETUR. Antichristus purè possibilis non est ipsa omnipotentia Dei quoad respectu & specificativè sumptus, sed tantum reduplicativè & quoad suam possibilitatem, æternitatem, necessitatem. Unde potentia productiva Antichristi non terminatur ad purum nihil vel ad se ipsam, sed solum sequitur quod terminetur ad ens positivum, quod tamen dicitur tale solum possibiliter, & denominativè à causa, terminaturque ad aliquid ab illa distinctum possibiliter, & denominativè, nec verum est universaliter, quod unicuique potentia activæ debeat correspondere potentia passiva, quæ sit aliquid actu intrinsecè.

CONTRA. Tum quia Antichristus possibilis in recto non est ipsa omnipotentia; detur ergo conceptus illius possibilitatis Antichristi secundum id quod dicit illa in recto? & hoc potius erit quæsitæ possibilitas, eaque jam non omnipotentia, quia hæc non est possibilis Antichristus in recto; non essentia æterna Antichristi, quæ sit ipsa essentia Dei, quid ergo erit illud quod dicitur in Recto? Tum quia possum quidem ego reduplicare possibilitatem activam creaturæ, sed possum etiam reduplicare possibilitatem terminativam, de qua quæro quis sit illius conceptus objectivus? Tum quia potentia productiva Antichristi non terminatur ad nihil, nec ad se ipsam, unde dum terminatur ad ens positivum, quod est tale solum possibiliter & denominativè à causa: quæro an dum non terminatur ad nihil, sit ille terminus in se præter omnipotentiam nihil, vel non; Si præter omnipotentiam est nihil, ergo cum omnipotentia non terminatur ad seipsam, & cum illa possibilitas præter omnipotentiam sit nihil, ad nihil terminabitur omnipotentia? Si autem præter omnipotentiam non est nihil illa possibilitas, da illius conceptum? Concedo quidem quod potentia activæ non sit necesse respondere potentiam passivam quæ sit aliquid actu, & in se: nam in nostris principiis nihil datur actuale ab æterno; debet tamen respondere terminativum tale; cuius formabilis sit verus conceptus distinctus ab ipsa omnipotentia; nam hoc ipso vel potentia se ipsam produceret, vel nihil produceret? formetur hic conceptus v. g. homi-

nis possibilis, illiusque terminativi, & hic erit, quæsitæ possibilitas passiva.

II. ARGUMENTUM. Si alter mundus possibilis, item Antichristus possibilis, nihil aliud est nisi denominatio extrinseca ab omnipotentia Dei: Ergo dum dico alter mundus est possibilis, & Antichristus est possibilis, idem utrobique affirmatur.

RESPONDETUR. In his propositionibus idem semper affirmatur in obliquo, & ex parte formæ denominantis, semper tamen aliquid distinctum in recto & ex parte subiecti denominati.

CONTRA. Quæro quis sit conceptus illius possibilitatis in recto importatæ? cur item forma denominans possibile non potest esse possibilitas illa terminativa.

III. ARGUMENTUM. Quod per se ipsum intrinsecè non repugnat, est in se ipso intrinsecè possibile, sed Antichristus intrinsecè per se ipsum non repugnat, quia in suis prædicatis nullam involvit contradictionem; ergo est intrinsecè in se ipso possibilis.

RESPONDETUR. Antichristum in suis prædicatis essentialibus habentibus suum esse intrinsecum in se dicere contradictionem, licet in suis prædicatis habentibus esse purè denominativum, & extrinsecum seu in sua causa, non dicat contradictionem.

CONTRA. Tum quia non assignatur hæc contradictio ut colligi potest ex dictis supra. Tum quia secundum id quod dicit possibilitas passiva in recto, involvitne contradictionem? Si involvit, nec per denominationem ab omnipotentia reddetur possibilis. Si non involvit? ergo est in se intrinsecè possibile, inseparabile, & intrinsecitate Metaphysicæ, & acceptæ per ordinem ad formandum conceptum possibilitatis cum fundamento in re; Ratio autem adlata vel exinde robur habet, quia denominatio illa non denominat se ipsam; quis ergo conceptus illius possibilis Petri, illius denominati &c? Tum quia quando dicitur possibile prout in causa spectatum non dicit contradictionem, dum ita spectatur, non est sensus quod constitutur omnipotentia in omnipotentia; ergo illius contenti alius debet formari conceptus, & hic erit quæsitus possibilitatis passivæ conceptus, quod potest appellari possibilitas passiva, commodè etiam diceretur possibilitas absoluta intensionaliter sumpta &c.

IV. ARGUMENTUM. Antichristo convenit ab æterno intrinsecè esse animal rationale, ergo debet dari aliquid ab æterno intrinsecum Antichristo distinctum à Deo, ut sit verificativum hujus & similium propositionum. Præcipuè autem, quia hæc propositio, Antichristus est animal rationale, non verificatur per aliquid extrinsecum, siquidem id verificat hanc propositionem quod identificat prædicatum ejus

cum subiecto: nihil autem extrinsecum, potest identificare subiectum cum prædicato, cum identitas, sit maxime intrinseca identificatis.

RESPONDETUR. Quod Antichristus non sit in se intrinsecè animal rationale, sed tantum denominativè, quatenus scilicet causa productiva Antichristi, simul est necessariò productiva, animalis rationalis. Addit in propositionibus æternæ veritatis essentiam Dei extrinsecam identificare prædicatum cum subiecto; non quidem actu sed possibiliter, & conditionatè, id est, est causa & necessitas identificationis actualis inter prædicatum & subiectum, ac proinde essentia Dei realiter physicè & ratione sui verificat ejusmodi propositiones. Non negat tamen, quòd ipsa identitas & connexio passiva prædicati cum subiecto in propositione necessaria, sicut est ab æterno solum denominativè & extrinsecè ab Omnipotentia Dei, ita solum denominativè & extrinsecè ac ratione alterius, hoc est, Omnipotentia in qua continetur, verificet propositionem.

CONTRA. Tum quia datur ab æterno Causa productiva Antichristi, quæro cum productivum non possit esse sine producibili, cumque hoc producibile ab æterno sit id quod est possibile, quæro de illo possibili sic sumpto, quid sit? Tum quia quid est hoc essentiam Dei identificare subiectum cum prædicato in propositionibus æternæ veritatis: non enim identificat efficienter actu, quia nihil efficitur actu ab æterno, non identificat possibiliter, quia de hoc ipso possibiliter queritur quid sit: nec identificat formaliter subiectum & prædicatum, quia id identificat formaliter, quod est idem realiter cum prædicato & subiecto, essentia autem Dei non est idem formaliter cum animali vel rationali, adeoque cum subiecto & prædicato hujus propositionis, aliquod animal est rationale. Et licet concedatur essentiam Dei esse causam effectivam identificationis actualis, adeoque esse activam possibilitatem, sed querere restat de possibilitate passiva identificationeq; formali. Tum quia quod identificat hanc propositionem, homo est animal rationale, est identitas objectiva hominis, & animalis rationalis, seu objectivum *Est*. Objectivum autem *Est* non est essentia Dei. Nam essentia Dei non est homo, nec animal rationale, adeoque nec identitas horum. Item posito etiam quòd solum denominativè & extrinsecè habeatur connexio passiva prædicati cum subiecto, cur illud denominativum resultans non potest esse verificativum propositionum æternæ veritatis, cum inter verificativum illud & propositionem objectivè sumptam debeat esse identitas; non est autem identitas inter animal rationale quod est homo & Deum, sed insuper adtribuendo possibilitatem passivam sint.

Rationes pro Possibilitate passiva.

In rationibus suprà formatis à Mauro videre fuit, quòd neget possibilitatem passivam; sed restringit propositionem, quòd non detur passiva actu, sed potentialis; quæ sit ratio à posteriori, cur hoc Deus producere possit.

I. RATIO. Pro possibilitate passiva, eaque actuali suprà explicata ut formetur suppono. In multorum principiis, quòd omnipotentia dicat relationem transcendentalem ad creaturas posibles: & deinde quòd relatio transcendentalis exigit quidem terminum, non tamen actu in statu existentia positum, adeoque exercentem actu rationem termini, licet non habeat rationem actu existentis termini. Hoc supposito, formatur Ratio, Omnipotentia potenti producere, vel respondet producibilis passiva, vel non respondet? Si respondet, ergò respondet & possibilitas passiva, quia hæc non aliud est, quam producibilis passiva. Si non respondet, ergò & est potens producere ut supponitur, & non est potens producere, quia quòd producat nihil est; cum, ut dicis, non respondeat producibilis passiva; hæc enim producibilis passiva est illud salvativum, ne dicatur produci nihil: Videantur dicta de Relatione transcendentali Dei ad creaturas. Hoc concessio sic ulterius urgetur. Vel respondet actu illa producibilis passiva, vel non respondet? Si respondet actu, habetur intentum; si non respondet actu, (suppono actualitate terminativa qualem exigit terminus relationis transcendentalis, cæteroqui non indigens positione sui termini extra causas) ergò nec est relatio illic transcendentalis actu: quia hæc non est sine suo actuali termino, sed deberet dici posse esse, sicut & terminus illius potest esse, & sicut si non est terminus, non est relatio, & si sit actu terminus, erit actu relatio; ergò si possit esse actu terminus, poterit etiam esse actu relatio, non verò erit: dicere autem quòd Deus non habeat actu relationem transcendentalem ad possibilitatem creaturarum, est dicere non habere illum relationem transcendentalem: quia relatio transcendentalis est relatio essentialis, essentialia autem Deus actu habet. Rursus si non respondet actu producibilis passiva, non posset dici Deus ab æterno actu omnipotens. Quod argumentum ut formetur suppono aliquas perfectiones divinas esse dependentes ab actuali existentia, sic v.g. esse Dominum, Creatorem, sumendo pro actuali Creatore &c. similia dependent ab actuali existentia: Quomodo enim Deus potest disponere de aliquo ut libuerit, quod est dominari, si de quo disponatur non sit: & aliæ sunt perfectiones, quas Deus habet, independentes à cujuscunq; creati actuali existentia, & sic quamvis nihil creatum fuerit ab æterno, est Deus æternus, putarem etiam esse actu immensum id salvando

salvando eo modo, quo salvabitur quod sit actu omnipotens: Sicut enim est actu omnipotens, quamvis actu non produxerit omnia quæ potest; ita est actu immensus, licet non sint actu omnia loca quæ impleat, licet (quod dicitur aliàs) non sit Deus quoad exercitium immensus: putarem etiam esse illum actu omnipotentem quia actu omnium habet vim producendi, concurrendi, conservandi, &c. hoc autem est esse actu omnipotentem, hoc supposito formatur ratio. Si non respondet Deo actualis possibilitas passiva non erit actu omnipotens, sed poterit esse actu omnipotens. Sequela probatur. Quia potentia activæ debet respondere passivæ; ergo vi activæ, quæ actu habetur actu possibilitas passiva actualitate jam suprà præexplicata.

RESPONDEBIS in simili ex Mauro. Potentia non creativæ debere respondere potentiam passivam intrinsicam, sed non potentia creativæ.

CONTRA. Tum quia etiam potentia creativæ debet respondere creabile, quod probant rationes immediate allatæ. Tum quia si potentia creativæ non deberet respondere possibilitas passiva, ut vocat intrinsicam, ex eo id esset, quia eo ipso res non crearetur ex nihilo, sed id falsum est: quia ut creetur aliquid ex nihilo, est creari ex subiecto non præsupposito, quod sit materia, vel exerceat rationem causæ materialis, quam rationem materiæ non exerceret per nos illa possibilitas passiva; sed potentia creativæ animæ, respondet nexus prædicatorum animæ, qui non est materia prima animæ, nec illam subiecat. Tum quia potentia creativæ debet respondere aliquid, quid enim crearet? sed non respondet ante actualem creationem non creabile, quia responderet contradictoriū ipsi creare, ergo respondet creabile; ergo possibilitas passiva intrinseca, creabile enim, & possibilitas passiva in præsentī, verbis differunt.

II. RATIO. Restauratio aliquorum quæ sibi opposuit Sylvester. Quia potest dari ratio quare Deus possit hominem producere, & non hircocervum, concessoque quod hæc ratio non sit distincta à Deo, sed ponatur identificata cum Deo, quæ illa ratio identificata cum Deo vel est possibilitas activæ, vel possibilitas potentialis: non activæ, quia hic de hac ratione identificata dicitur, quæ possit pro ratione reddi ipsius possibilitatis activæ, cur illa habeatur respectu hominis non hircocervi: non etiam possibilitas potentialis, quia hæc est terminus omnipotentia, ipsum ad quod terminatur creatio, tale autem non potest esse identificatum Deo.

III. RATIO. Tum quia datur possibilitas passiva potentialis, vel actu, vel non actu; si non actu non est possibilitas passiva potentialis, sed erit, si actu habetur intentum. Tum quia quando nos dicimus possibilitatem passivam esse actualem, non volumus aliud significare, quam

quod non sit quid fictum possibilitas passiva, quid ergo oberit ne hoc sensu dicatur actualis? Rursus homo idq; ab æterno non exigit hoc, ut animalitas illius possit esse rationalis, sed exigit ut sit rationalis, ergo non tantum dabitur possibilitas passiva potentialis, sed actualis, actualitate suprà explicata. Deniq; pro præsentī parum interest, voca illam possibilitatem passivam potentialem, nega actualem, modò dicas distinctam esse à Deo, quæ sit terminus relationis transcendentalis divinæ, nec Deo identificata, sufficit pro præsentī. Tum quia quod dicitur quando redditur pro ratione possibilitas passiva, cur hominem possit Deus producere, & non hircocervum, quod tunc reddatur ratio à posteriori, id non convincit: Si enim nomine rationis à posteriori, hoc intelligat, quod prius sit necesse penetrari v.g. omnipotentiam item penetrari continentiam, quam habent creaturæ in Dei essentia, repræsentationem in omniscientia, & appetibilitatem in voluntate; & tum primum reperiendo aliqua in his divinis, inferre hæc esse possibile, & non reperiendo alia, inferre hæc esse impossibile, hoc quidem sensu possibilitas indubie est quid posterius? sed id non obest quominus responsio per possibilitatem passivam, sit responsio per prius; quia ex collatis intet se & consideratis inferioribus, tum primum formatur universale, & tamen hoc non obstante universaliora priora sunt singularibus, & sicut inexistencia universalium in singularibus, non facit ut singularia sint priora, ita quod fundamentum affirmandæ possibilitatis habeatur in Deo, non facit ne ipsum fundatum sit prius. Deinde nullum est fundamentum, cur responsio per possibilitatem passivam, sit responsio per posterius in ordine ad nostras intellectiones, nam quod dicitur Deum esse primam rationem, si intelligatur primam esse rationem in ordine producendi, concurrendi &c. vera est propositio: Si dicatur primam esse rationem responsivam, resolutivamque interrogationem, falsa est propositio. Denique quodcumq; signum afferetur quod aliquid sit responsio per modum prioris & si sit legitima ostendet etiam responsonem per possibilitatem passivam, esse à priori. Item responsio per terminum relationis sit responsio per prius, quia ante relationem præsupponitur terminus, possibilitas autem passiva est terminus relationis transcendentalis divinæ: Rursus responsio per aliquid quasi formale, est responsio per prius; jam autem quod non cognoscat Deus hominem nisi animal rationale pro formali adfertur, quia est animal rationale, ergo responsio per possibilitatem passivam est responsio per prius.

QUÆ